





74.  
GRATULATIO

AD

SERENISSIMUM ET POTENTISSIMUM

Principem ac Dominum

DN. GEORGIVM  
VVILHELMVM,

Marchionem Brandeburgicum,  
Sacri Romani Imperii Archicamerarium  
& Electorem, Ducem Prussiae, Iuliae, Cliviae, Montium,  
Stetini Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, nec non in  
Silesia Carnoviae &c, Principem, Burggrabium Noribergen-  
sem, Rugiae Principem &c. &c. Dn. ac nutricium suum Cle-  
mentissimum ob auctam domum Brandeburgicam novam pro-  
le masculam, Principe celsissimo, & in huius diei iustici  
honorem, qui est 24. Octobr:

Styl: Vet.

*Humilima devotionis & subjectissima observan-  
tia contestanda ergo conscripta*

Nomine Academiae Regiomontanae,

ad

*Sereniss: ejus Celsitudini subjectissimo*

M. SAMUELE FUCHSIO

Rhet: Profess:

Regiomonti Typis Laurentii Segebadii,

Anno 1624.





**D**Um felici germinat  
surculo celsissima BRAN-  
DEBURGICA arbor, (arbor  
Europæ bellorum tem-  
pestatibus concussæ mirabilis, quia  
illa ferè sola immobilis, & potentis-  
simis hostib<sup>9</sup> formidabilis, quia fe-  
lici consilio & autoritate coelitus  
armata est,) lætitia publica divaga-  
tur per omnes urbes & mutuâ gra-  
tulatione implet munera tantæ fe-  
stivitati debita. Non tristem quem-  
quam esse debere proclamat, nisi  
cui arboris huius immortalis vigor  
virorq; terrori est. Optat condo-  
lendo aliis afflictis gentibus partē  
felicitatis suæ, ut longè lateq; ex-  
panlis sub huius arboris potentissi-  
mis ramis securè possint vivere,

A 2

nec

nec ea antè deficiat, quàm memo-  
ria hominum esse desinat. Ea quoq;  
lœtitia Academiam tuam, Serenif-  
sime ac potentissime Princeps,  
invasit, quæ cum Celsitudinem  
Tuam non præsens potest vene-  
rari & gratulando suum gaudium  
manifestare; noluit tamen esse affe-  
ctu & animo, quem hîc exprimere  
conatur minor, quæ corpore est re-  
motior. Gaudet cum hoc Ducatu,  
qui cum sub hac lauro, & quamdiu  
sedebit, cuius surculus novus efflo-  
rescit, non timet fulmen belli. Gau-  
det cum ordinibus tuarum ditio-  
num, qui cum cincti sunt coro-  
nis huius lauri triumphant in almâ  
pace. Umbra quoq; huius lauri nō  
patitur ardorem scelerum, unde  
vates eius laudes recensendo invi-  
diam adversum se ut concipiant, fa-  
cient, prisci pœtæ. Gaudet, & quod  
olim

olim Populus Romanus cum Im-  
peratorem eligebat, boni vovebat  
omnis ergò, ut esset tam felix sicut  
Augustus, tã bonus sicut Trajanus,  
tam fortis ut Scipio, tam numerosus  
victoriis sicut Cæsar, id omne de-  
vota Academia tua hoc uno implet  
voto, ut domus BRANDEBURGICA  
semper in posteris suis reviviscat.  
Nam ut ex eâ prodierunt Heröes,  
per quas pax orbi terrarum non se-  
mel rediisse visa est: ita talibus ma-  
joribus ortos, tales vovet & sperat  
posteris. Bonitas arboris argumẽ-  
tum est bonitatis fructus. Te enim,  
Celsissime Princeps, ut nos præsen-  
tẽ amamus, ita te sera posteritas in  
posteris tuis venerabitur. Non in-  
videmus Spartæ suum Lycurgum,  
Romæ suum Augustum, Galliæ suum  
Hinricum, Græciæ suos Sapientes,  
dum noster terrarum orbis te tuoq;



cellissimo sanguine divinâ quâdam  
benignitate donatus est. Tu quo-  
ties prodis, comitantur te ab altero  
latere Justitia, quæ præmia bonis,  
pœnas malis, pœnitentibus veniã,  
miseris misericordiam pollicetur;  
ab altero pax, quæ cum in exilium  
ejecta est è mundo, ad tuas venit  
provincias & ditiones, sedẽq; ibi  
fixit diuturnam. Accedit & hoc  
gloriæ tuæ, quod Elector imperii &  
Princeps Prussiæ audiisti eo tem-  
pore, cum omnia erant turbata &  
fluctus ingentium difficultatum u-  
biq; æstuabant. Quemadmodum  
enim nauta quilibet navem regere  
potest, si mare tranquillũ est; opti-  
mus verò ille judicatur & maximè  
desideratur, qui sævientibus ma-  
ris procellis ventisq; inter se pu-  
gnantibus dextrè ad portũ eam de-  
ducere possit: ita in fervore bello-  
rum,



rum, in pelago turbarū, quod ven-  
ti querularum & protestationum  
agitabant, quia Reipubl. clavum  
tenere incepisti & ad portum quie-  
tis nos deduxisti, meritò peritissi-  
mus princeps gubernandi regimi-  
nis diceris. At quæ fuerunt remi-  
gia? Cor tuū, Magnanime Princeps,  
remigium erat magnanimitatis;  
oculi, remigium perspicacitatis; pe-  
ctus, remigium prudentiæ & confi-  
lii; lingua, remigium facundiæ, qui-  
bus strenuè laborantibus deveni-  
mus in portum quietis & concor-  
diæ. Sed quid nos obnubilamus ob-  
scurâ oratione clarissimam gloriã  
tuam, Illustrissime Princeps? Satis  
est divinum illud beneficiū agno-  
scere non modò quod te Respubl:  
fruatur, sed quod & tuis sequens  
fruitura sit felicissimè. Erit cū exci-  
tabitur generosa proles clarissimo  
lumi-

lumine, quod oculos eius affi-  
ciet, celsissimi parentis & majorum,  
aut excitabitur sono litui avorum  
& atavorum, qui eius aures imple-  
bit, & incipiet eos imitari. Jam nūc  
tam ingenti spe, ô illustrissime in-  
fans, ut ad te nostra convertatur o-  
ratio, populorum tenes animos. Ut  
enim te fata matutino tempore na-  
sci voluerunt, quod insequitur lux  
clarissima meridiei; ita post auro-  
ram vitæ tuæ, in meridie ætatis cla-  
rissimam lucem virtutis & gloriæ  
orbis terrarum expectat. Progeni-  
tus es mense Julii, sed qui Majum  
propter tuos natales vincit, proge-  
nitus es, cū messis est fructusq; ma-  
turuerunt, & tacitè nos fruct<sup>9</sup> quoq;  
tuarum virtutum, cum te virum fa-  
ciet ætas, sperare jubes. Cresce age  
cresce, illustrissime puer, qui nunc  
in Ecclesiæ horto ut generosissimus  
Circu-

Surculus plantatus sacro Baptisma-  
tis rore illo irrigaris, qui cætera-  
rum ingenium aquarum longissi-  
mè superat. In aliis aquis nostram  
speculamur imaginem: in hac isti-  
us imaginis, ad quam olim conditi  
eramus, quamq; primi parentes  
per lapsum amiserunt, repræsenta-  
tio est. Aspergi velis istâ aquâ, quæ  
contraria est illis Narcissi, in qui-  
bus seipsum cæpit mirari & vanam  
suam umbram diligere: in his non  
te, se CHRISTUM miraberis & um-  
bris vanitatum mundi valedices.  
Ille inde mortem mutatus in florem  
terræ, tu hinc vitam acquires sele-  
ctus in florem cœli. Aqua enim, ut  
nos experientia docet, tantum ascen-  
dit, quantum descendit: Ergo ad  
cœlos hæc aqua tecum ascendet,  
quia inde descendit. Natura vul-  
garis aquæ est emollire dura, ex-

B

tinguere

*Ortellius  
in Scotia  
& Hiber-  
niâ.*

tinguere ignem, fecundare cam-  
pos, eluere maculas. Hæc quoq;  
emolliet, si qua duricies erit in ani-  
mo, extinguet ignem æstuantium  
affectuum, fecundabit & exten-  
det campos Ecclesiæ, eluetq; ani-  
mæ maculas. O felices aquas, quæ  
tantis sunt dotatæ privilegiis, ut  
longè vincant eas, ex quibus con-  
fecti sunt cœli. Si enim ex illis orta  
sunt sidera; ex his Ecclesiæ sidera  
sunt totaq; Ecclesia, quæ instar Lu-  
næ a Sole æternæ gratiæ CHRISTO  
suum lumen mutuatur. Narrant  
scrutatores naturæ in quibusdam  
insulis Scotiæ fructus arborum cer-  
tarum succrescentium ad margi-  
nes fluviorum, si in aquas decidant  
transformari in aves & accipere vi-  
tam: His quoq; aquis vita tibi con-  
feretur, non ad tempus duratura  
sed æterna. Propera ad hanc irri-  
gatio.

gationem, quæ (si modò fas est mini-  
ma conferre cum maximis) veluti  
Nilus est. Nilus scaturire dicitur  
ex paradiso terrestri irrigans to-  
tam Ægyptum: irrigatio hæc  
ex paradiso cœlesti fluit, & omnes  
terras spiritualis Ægypti percur-  
rit, fœcundatq; pectora quæ arida  
sunt & sitiunt cœlestem rorem. Vel  
si fas est dicere, Tigris est, qui Me-  
sopotamiam cingit Medeorum  
linguâ dictus Jaculum. Jaculum  
enim est, quo infernalis hostis  
terretur abigiturq;. Vel Euphra-  
tes, id est, aqua fœcunda est, quia  
per hanc supra cœlos è terrâ fru-  
ctus succrescunt. Vel Jordanis  
in Palæstinâ est, ubi non Náa-  
mam Syri tantum leprâ, sed  
quisquis ex toto mortali gene-  
re, qui accesserit, spirituali le-  
prâ mundatur, per quem regio

B 2

distin-

distinguitur fidelium ab infideli-  
um populis, ubi filiis Israël veluti  
via quædam aperitur, ut ad terram  
promissionis, id est, vitam æternam  
iter facere possint. Nam nisi quis  
renatus fuerit ex aquâ & Spiritu  
non potest introire in regnum cœ-  
lorum. Jordanis est, ubi te CHRI-  
STUS amplectetur & Sacro Sancta  
Trinitas manifestabitur. Piscina  
Hierosolymitana est, ubi & lepra &  
cæcitas & quicquid est morborum  
Spiritualium propellitur. Hic ille  
fons est, qui fontium miracula su-  
perat omnium. Nam si Imera in  
Siciliâ geminos parturit rivos quo-  
rum alter in mare Thyrrenum dila-  
bens dulcē habet aquam, quæ po-  
tum bibentibus gratum præbet; al-  
ter in mare Lybicum diffugiens a-  
maras volvit undas: hic faciet sen-  
tire amarum mundi torrentem, qui  
in

in interitus mare præcipitatur, &  
suavissimum laticem coeli, qui di-  
vinæ misericordiæ abyso involvi-  
tur. Si fons Melan in Hestæotide  
oves bibentes albas facit: hic can-  
didas facit animas. Si apud Gades  
& in ripâ Boëtis & in urbe Hispali  
fons est cuius veluti benignitas a-  
quarum restringitur cum mare in-  
tumescit, augetur verò cum quie-  
scit: huius fontis gratia magisq; au-  
gescit cum humanum cor mare il-  
lud sollicitudinum & curarum qui-  
escit; cum verò intumescit aut su-  
perbit, eius fructus imminuuntur.  
Si in Lithvaniâ fluvius est, cui Nar-  
viæ nomen, qui non fert venenata  
animantia, usq; adeò, ut serpentes,  
qui Bugo flumine delati adhæse-  
rint, edito sibilo refugiant, cum pri-  
mùm huius Narviæ aquam attige-  
rint; hanc aquam infernales ser-

*Plin. lib.  
31. cap. 2.  
Strabo  
lib. 3.*

*Mart.  
Cromer.  
descript.  
Polon.  
libr. 1.*

*Plinius*  
*lib. 31.*  
*cap. 2.*  
*Isod. lib.*  
*13. cap. 3.*

*August.*  
*lib. 21.*  
*c. 7. de*  
*Civit.*  
*DEI.*

*Mela lib.*  
*1. c. 4.*  
*August.*  
*de Civit.*  
*lib. 21.*  
*cap. 5.*

8. fontes ferre non possunt baptiza-  
tiq; contra Stygia venena muniti  
sunt. Si duo fontes in Bæotiâ mira-  
biles esse scribuntur, quorum alter  
si ex eo bibatur, oblivionem re-  
rum inducit, alter memoriam ex-  
suscitat: hic oblivionē præterito-  
rum errorum causatur, & memo-  
riam illustrabit promissæ salutis  
vitæq; æternæ. Si apud Grationo-  
polim fons est, qui accensas faces  
extinguit, & accendit extinctas:  
hic extinguet faces impiarum cu-  
piditatum, & accendet focum in  
corde meditationum & precum.  
Si Hammonis fons, quem Solis ap-  
pellant, friget calore diei, & calet  
rigore noctis; & ut Augustinus in-  
quit, apud Garamantes tam frigi-  
dus diebus ut non bibatur, tam fer-  
vidus noctibus, ut nō tangatur: hic  
fons Christi fons solis justitiæ faciet  
frigere



frigere superbiam, cum lux fortunæ  
serenioris quasi medio die splen-  
det, & devotionem in Deum arde-  
re, cum fortuna adversa est tenu-  
isq; radius prosperitatis fulget. Si

*Clitorio quicumq; sitim de fonte levavit  
Vina fugit gaudetq; meris abstemius undis.*

Hic, qui ex vivis undis Israelis  
bibit, fugiet poculum Babylonicæ  
meretricis, nec erit inter istos prin-  
cipes terræ, qui eâ propinâte Chri-  
sti colarum sanguine inebriantur.  
Si apud Gelonium stagnum duo  
fontes, quorum alter sterilitatem,  
alter bibentibus aquas suas indu-  
cit fœcunditatem; hic fons produ-  
cet sterilitatem operum malorum  
& fœcunditatē bonorum. Si in for-  
tunatis insulis duo fontes sunt, ex  
quorum altero, qui gustaverit, rifu  
solvitur in mortē; remedium verò  
inve-

*Solinus  
cap. 10.*

*Simon  
Majolus  
colloquio  
13 dierū  
Canticul:*

invenit, qui ex altero biberit: in  
hac orbis totius insulâ fontes sunt,  
alter mundanarum voluptatum,  
quo si quis se ingurgitaverit, ridē-  
do & luxuriando moritur, sed si ad  
hunc CHRISTI fontem accesserit, a  
mortis periculo liberatur dum vi-  
tæ remedium æternæ invenit. Si in  
fortunatis insulis in Ombrio, cui  
hodie Ferreæ insulæ nomen indi-  
tum arbor est, ex quâ scaturigo a-  
quarū quotidie exoriēte Sole pro-  
fluit: hæc scaturigo saluberrima,  
ex eo, qui in ligno crucis pepēdit,  
uberrimè manavit & profluxit.  
Quid ? quod ipsum quoq; tempus  
quæq; notabilia in eo acciderunt,  
ad alia longè majora animum tuū  
excitate possunt. Circa enim hoc  
tempus Augustus victoriam tulit  
de M. Antonio & Cleopatrá Regi-  
nâ Ægypti, atq; ab hoc die Cæsaris  
Monar-

Monarchia capta est, ut inter cæte-  
ros testatur Dion: at tu, Illustrissi-  
me infans, victoriam per CHRISTUM  
feres de Rege infernalis Ægypti,  
supremiq; Regis CHRISTI monar-  
chia in te asseretur. Cresce age, cre-  
sce, illustrissime infans, ut tandem  
fiat surculus arbor: cresce voluptas  
populorum, Gratiarum omnium  
& favorum alumne, sidus cœli, flos  
terræ, *ut spei nostræ rudimentum fiat rei expe-  
rimentum.* Precamur omnes, ut ne læ-  
dat hunc tenerum & pulcherri-  
mum florem ulla morborum noxia  
aura; nulla inclementior nubes  
infortunii lætè succrescentem ob-  
fuscet: Sequatur florem fructus  
sublimis quidem, ut sub eius um-  
brâ Magistratus inferiores judicent,  
& subditi pareant, Ecclesia stre-  
nuè militet, Oeconomia castè flo-  
reat, Doctores fideliter erudiant,  
C discen-

discientes feliciter proficiant. Pre-  
camur omnes, ut totam Domum  
Brandenburgicam cœlestis favor  
perennare jubeat ad multorum  
populorum commdum & Reipubl.  
Christianæ præsidium. Subvehatur  
Brandenburgica aquila supra uubi-  
la detonantium bellorum calcetq;  
nubes invidorum. Gryphus inac-  
cessæ rupis in arce ipsi junctus ex  
solido auro sibi nidos firmet & ex  
divite gemmâ virtutum longè la-  
teq; coruscantium: Timeatur Leo,  
Rosaq; Marchionum æternum vi-  
geat floreatq;.



GRATULATIO ACADEMICA

*AD*

*Serenissimum Electorem,*  
*Potentissimum Principem,*

DN. GEORGIVM  
VVILHELMVM,

Marchionem Brandeburgicum,

DUCEM BORUSSIAE,

Juliae, Cliviae, Montium,

Stetini Pomeranorum,

Cassubiae, Vandalorum,

In Silesia Crosnae & Carnoviae,

Burggravium Noribergensem

Rugia Principem,

&c. &c.

*Dominum suum Clementissimum*

DE AUCTA PROLE MASCULA

Principe Celsissimo

DOMUS BRANDEBURGENSIS,

*Nomine ac jussu Senatus Amplissimi*

*Humilima observantia ergo*

*instituta à*

M. Christophoro Eilardo,

Poëleos Professore.

**E**Xultat VIADRUS, nova júbila PREGELA ructat,  
 Clamat jo viadrus, Pregela clamat jo.  
**L**Tripuant, pinnis pisces & ostantibus adstant,  
 In Domini pronos cernimus obsequium:  
 Ac virides animal campos quodcunq; pererrat,  
 Saltibus & lata gaudia voce ciet:  
 Latantur segetes, calida ac si nutriat aetas,  
 Spernat & Autumni spes animosa vices.  
 Insueto sacra mirantur tempore Musa  
 Plausum, leticia tecta q; causa latet.  
 Dadala rimantur nunquid natura doceret;  
 Nunquid Stelligeri fabrica celsa poli  
 Ecce repentino Prussorum clima volatu  
 FAMA perit, magni nuncia lata boni:  
 Auribus attentis o docta haurite Camœna  
 Quæ vobis, inquit, gaudia lata feram,  
 Celsa DOMUS longo Proavorum Stemmata clara,  
 Heroum genitrix, Marte superba DOMUS,  
 BRANDENBURGIACUS quam MARCHIO notus ad astra  
 Occupat, & meritis auget ubiq; suis,  
 Parturiens fausto præcelsam sidere prolem,  
 Delicias vobis, præsidiumq; tulit.  
 Masculus est natus Princeps spes viva Parentum,  
 In quo splendent Maria signa Patris.  
 Sic ait, & tenues Fama evanescit in auras,  
 Protinus ac nobis res facit ipsa fidem.  
 Hinc Viadrus lætas, hinc Pregela concitat undas;  
 Tripudiant colles, Sylva comasq; quatit.

Eja

Eja age, præcellens Princeps **GUILIELME GEORGI**,  
Diversis populis jura decusq; ferens,  
**MARCHIO** Romani **SEPTEMVIR** gloria sceptri,  
Prussiaco Charus Duxq; Paterq; solo,  
Divinum Numen, summi clementia Jovæ,  
Cui sceptrum & fasces subdita jura tenent,  
**TE TE** prælustri ac generosâ prole beavit,  
Quod **CHARLOTTA** tibi parturit alma decus.  
Mascula nam virtus reliquas supereminet omnes;  
Lanceam Achilleam mascula dextra gerit,  
Cumq; reportavit meritam victoria laudem,  
Induit optatam mascula dextra togam:  
Ingenio pollet, dirimit quoq; masculus ordo  
Lites, illarum semina prava necans:  
Ingenuas teneris animis hic inserit artes,  
Res quibus immotâ Publica sorte viget.  
Hanc **DOMUI** excelsæ fortunam cœlitus ortam  
Excipit applausu docta Camœna suo,  
Atq; **DEI** summum miratur læta favorem,  
Quem nunc conspicuum lumina clara vident.  
Si dubias forsâ mentes favor iste tenebit,  
Quando **DEI** nusquam facta benigna notant,  
Illa ex adverso, quid verum, limine cernent,  
Antihebes cœcas pandet iisq; vias.  
Quando **DEUS** vastum a versatur pectore regnum,  
Aut regi externo sceptrâ dicata capit,  
Mascula subjecto tum pignora denegat orbi,  
Quorum salva diu turba salute foret.

Nam

Nam veluti Tithan radiis splendentibus agros  
Excitat, & blandè semina recta fovet:  
Numinis haud aliter servat clementia fasces  
Imperii, serus sceptrum neposq; tenet.  
BRANDENBURGIACAE junctis hac fata precamur,  
Telluri votis, sint rata vota DEO.  
Princeps vitales qui jam productus ad auras  
Accipiat sacris nomina lotus aquis,  
Nomina vivifica germen signantia vitis,  
Dulces Angelico deliciasq; Choro:  
Cum primoq; bibat pietatis semina lacte  
Infans, magnanimi spes generosa Patris.  
Excelsas animi dotes tenera augeat aetas,  
Judicium properos praeveniatq; dies.  
Exulet omne malum, vires acquirat in horas,  
Ac sanum corpus mens magè sana regat,  
Illustris donec vestigia celsa Parentis  
Infraeto juvenis corde fideq; legat.  
Illius & virtus subiecta vivida plebi  
Promittat Latiam, munera cara, togam;  
Indomitis hostis clypeo, ferroq; tremendus  
Hostibus, invicto robore tela vibret.  
Non spes Pregelides fallax lactabit inanes,  
Principi huic regio vasta regenda manet,  
Quam stabilem reddet virtute ac legibus aquis,  
Ut subiecta colat pro Duce turba Patrem.  
Hoc vigili cernet vicinus lumine tractus,  
Miratus tanti splendida facta Ducis,

Illius



Illius ardenti subito & flagrabit amore,  
 Officium flexo poplite dulce minans.  
 En Dux præcellens, Romani dex. Monarcha,  
 MARCHIO Septemvir patris amande loco,  
 Ecquis te Princeps vivit felicior alter,  
 Qui magis te vitam forte beatus agat?  
 Aeternum nobis vigeas vivasq; GEORGI  
 Defensor Musis Dux GUILIELME tuis,  
 Quæ tibi servitium spondent, famamq; parabunt,  
 Ad nutus promptæ, Celsæ Patrone, tuos.  
 Te quoties rutilus Phæbus caput exserit undis,  
 Numinis immensi gratia larga beet,  
 Conjugem & Illustri prognatam Stemmata Matrem  
 Efficiat multâ prole, piâq; gravem.  
 Hoc viadrus lato decurrens flumine votum,  
 Hoc multo dives Pregela pisce votet.



Illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



W 1999

[70/98]

ULB Halle 3  
001 915 363



56


V3 17 ✓  
Retro ✓





70





B.I.G.

Farbkarte #13



74.

...CULATIO  
 AD  
 ET POTENTISSIMUM  
 ac Dominum  
 ...ORGIVM  
 ...ELMVM,  
 Brandeburgicum,  
 ...rii Archicamerarium  
 ...ssia, Iulia, Clivia, Montium,  
 ...biorum, Vandalorum, nec non in  
 ...pem, Burggrabium Noribergen-  
 ...cc. Dn. ac nutricium suum Cle-  
 ...num Brandeburgicam novâ pro-  
 ...ssimo, & in huius diei Iusticia  
 ...i est 24. Octobr:  
 ...yl: Vet.  
 ...subjectissima observan-  
 ...a ergo conscripta  
 ...ia Regiomontana,  
 ...  
 ...tudini subjectissimo  
 ...E FUCHSIO  
 Profess:  
 ...s Laurentii Segebadii,  
 1624.

*Contrahit*

